

1526

administrandi cum illis ageret, imperator Venetus quamceler-
rime posset exercitus conjungendos esse ajebat; sibi videri Pon-
tificis copias cis Casale majus Padum trajicere oportere; Ve-
netas eodem iter dirigere, ut ipsiis conjungerentur. Ac dicen-
te Boscheto, nullo pacto Ecclesiæ oppida, imminutis præsidiis,
Cæsareanorum libidini relinquenda; imperator militiæ experi-
mentis edoctus vehementer hortabatur, ut, Placentia valido mi-
litum præsidio firmata, omni abrepta mora, statim Padum trans-
grederentur: celeritate nimirum opus esse, qua semper prospe-
re bella administrari solent; illam in primis hoc tempore ne-
cessariam; dum hinc Sfortia obseßus obtestatur, opem implo-
rat; quæ si cunctando mora protrahitur, sua consilia illum non
voluntate, sed necessitate recturum; hinc vero Cæsareani du-
ces, & milites maximis difficultatibus premuntur, pecunia la-
borant, rerum omnium necessitate coguntur, Mediolanenses
incredibili in Cæsareanos odio flagrant; dum milites nec illo-
rum pecuniis, nec pudori parcunt, sed per domos graffantes
in illos summum violentiæ imperium usurpant: omnia hæc
hortari, ut quam primum junc̄tis copiis, communibus viribus
bellum geratur. Ea de re Franciscus Guicciardinus ad Ponti-
ficiis Legatum Venetiis commorantem perscripserat, multisque
rationibus jungendarum copiarum impedimenta, & difficulta-
tes exposuerat.

Verum Laus Pompeja a nostris capta, Ducum Ecclesiastico-
rum consilia statim flexit, omnesque moras abruptit; nam cum
nostris, ut diximus, Abduam trajecissent, Pontificii vj. kal. ju-
liais Padum transgressi, nostris ad Divi Martini tria millia pas-
suum a Laude Pompeja se conjunxere, cunctis exitum belli,
obseſſique Ducis libertatem ex Laudis Pompejæ eventu metien-
tibus. Neque vero Senatus aliqua in re vel studio, vel pecu-
nia, vel maritimis, terrestribusve copiis parcebat; ita ut solus
fere totam tanti molem belli sustinere videretur. Nam præter
pedites, & equites utriusque armaturæ, de quibus diximus,
in primis, ut Germanis militibus Alpium aditus, descensusque
in Galliam Cifalpinam prohiberetur, officiis non modo, ve-
rum etiam pecuniis nitebantur. Cum enim Rhætorum gens vias
omnes, quibus per suos fines transfiri in Italiam posset, Ger-
manis clausuros sese obtulissent; dummodo controversiæ, quæ